

Michael Cobabus Michael Jordan

Disputatio Sphaerographica, De Horizonte Circulorum sphaerae Principe

Rostochi[i]: Kilius, 1639

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729600246>

Druck Freier  Zugang



RU phil. 1639
Michael Coburn
Michael Jordan



DISPUTATIO SPHÆROGRAPHICA,
DE
HORIZONTE
Circularum sphaeræ Principe

Quam
SPIRITU SANCTO ADJUVANTE

Publica disquisitioni subjicient,

M. MICHAEL COBABUS,

Sternberg. Megapolitan.

PRÆSES

&

MICHAEL JORDANUS,

Sternb. Megap. Resp.


In Auditorio majori die Maji horis matutinis.



ROSTOCHL,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXXIX.



De HORIZONTE.

I.



Uod Horizon nomenclaturam inde-
ptus $\delta\alpha\tau\epsilon\ \tau\epsilon\ \delta\omicron\pi\iota\zeta\epsilon\delta\alpha\gamma$, quod significat finire ne-
minem, qui græcæ linguæ gnarus, latere posse ar-
bitramur. Quemadmodum enim meta velli-
mes euicunq; rei, cuius est terminus finem impo-
nit, ita etiam Horizon visus nostri terminum con-
stituit. Quando enim ruri patente campo ambulamus, vel pedem
figimus & oculos nostros circulariter flectimus, videtur terra cum
cælo quodammodo coire vel uniri, ut visus sese non profundius pos-
sit submittere, illaq; contemplari quæ in parte non visa cæli infra fi-
torem occultantur.

2. Hic terminus visionis latinis dicitur finitor vel terminator,
Vocatur etiam gyrus terrestris nam veluti Æquator vel circulus æ-
quinoctialis dicitur gyrus cælestis, quod instar Zonæ totum cælum
incingat, ita etiam finitor dicitur gyrus terrestris quod instar cingu-
li totam terræ molem circumplectatur.

3. Explicato nomine statim ad ejus descriptionem accedimus,
ut sciamus quomodo Horizon à reliquis Sphæræ circulis distingua-
tur. Proclus in Sphæra eum definit, quod sit circulus, qui dividit
partem mundi, quæ à nobis videtur ab ea, quæ non apparet & totum
mundi globum in duas partes discriminat, ut hemisphærium alterum
extet supra tertam, alterum sub terra occultetur. Quod a. per hanc
descriptionem non satis distinguatur finitor à reliquis sphæræ circu-
lis facillimè potest monstrari. Quando enim in sphæræ positu par-
allelo intuemur circulum positum & constitutionem, satis appa-
ret, quod omnia Æquatori tribui possint, quæ à Proclo in finitoris

definitione sunt posita. Hæret enim in sphaera parallela Equator in ipso Horizonte, cumq; eo planè coincidit, unde non tantum partem coeli visam supra finitorem extantem, à parte non visa, vel infra eum occultata, sed etiam totam coeli machinam in duas portiones æquales cum Horizonte distinguit.

4. Idem etiam faciunt Coluri transeuntes per puncta Cardinalia, quæ partim in tropicis, ut sunt tropicus Canceri vel æstivus, & tropicus capricorni vel hybernus, partim in Circulo æquinoctiali habentur; quando enim in sphaera recta ubi æquator per punctum verticale vel Zenith perpetuò transit finitorem attingunt, cumq; eo ununtur, eodem modo coelum terramq; in duas portiones distribuunt ac Horizon.

5. Relinquimus itaq; Procli Definitionem, quæ insufficienter nostrum explicat definitum, & potius statuimus, quod Horizon sit circulus major, immobilis, mutabilis, in quocunq; sphaeræ situ æqualiter distans à Zenith vel puncto verticali, & hemisphaerium superius dirimens ab inferiori.

6. Hæc definitio constat i. genere proximo, Circulus enim reddit nobis conceptum communem, in quo conveniunt Equator Horizon, Eccliptica, Coluri, Meridianus &c. & proximè prædicatur de Horizonte, cum inter illum & circulum non detur alius conceptus communis 2. Differentiâ, qua ab aliis distinguitur circulis, est autem illa partim communis; & pluribus competit circulis, partim propria & soli tribuitur finitori.

7. Licet quidem debuissimus omittere differentiam communem, sufficiens enim fuisset differentia propria, siquidem per illam nostrum definitum ab omnibus sphaeræ circulis satis discriminatur, volumus tamen melioris explanationis gratiâ addere illam, ut omnis difficultas & obscuritas seponeretur.

8. Dicimus itaq; in nostra definitione quod Horizon sit i. Circulus major ut distinguatur à minoribus, Dividuntur enim circuli ex quibus sphaera armillaris composita, communiter in majores, qui partiuntur coelum terramq; in duas partes æquales, ut Meridianus, Horizon, Coluri, Equator & minores, qui dirimunt coeli terræq; faciem in duas portiones inæquales, ut tropici & polares.

9. (2.) Immobilis ad differentiam illorum qui sphaerâ motâ simul moventur. Dantur enim sphaera circuli, qui planè non moventur, sunt enim extra sphaeram collocati, unde circuli externi vocantur: ut Horizon, & Meridianus. Hi enim circuli si sphaeræ mobili cum aliis infiti, reliquis motis simul progredierentur, & Horizon altera parte paulatim accederet ad punctum verticale, alterâ ab ea discederet & tandem motu punctû verticale assequeretur, imo meridianus cum Horizonte uniretur quod sphaerica doctrina non admittit. Sunt etiam circuli qui sphaerâ circumvolutâ non cum finitore quiescunt, sed potius circa centrum suum ambulant, cum sint circuli interni: ut æquator Coluri Tropici Polares, &c.

10. (3.) Mutabilis, ut separetur ab illis qui nulli mutationi sunt obnoxij, ut Æquator Coluri. Hi enim firmiter locum suum tenent, & ne latum unguem ab illo descedunt. Æquator enim perpetuo scinditur à Zodiaco & lineâ Ecclipticâ in iisdem, punctis. Coluri etiam constanti & firmissimâ lege per puncta Cardinalia transeunt, ostendunt enim puncta in quibus solis reversio, (quam solstitium appellant) & æquinoctia suboriuntur. Dicitur autem mutabilis, non ratione unius ejusdemq; loci; (hoc enim respectu nullam patitur mutationem cum punctum verticale, quod æqualiter distat à finitoris circumferentia, non varietur), sed respectu diversarum regionum & civitatum mutatâ enim civitate, regione imò quovis loco mutatur, etiam Horizon unde Proclus ait: Nec in omni regione & civitate est idem Horizon, sed quantum sensu cognoscimus manet per certa stadia.

II. Sequitur differentia propria, quâ finitor ab omnibus sphaera Circulis differt. consistit autem in reliquis verbis, quando dicitur, in quocunq; sphaeræ positi æqualiter distans à Zenith vel puncto verticæli, & hemisphaerium superius dirimens ab inferiori. Licet enim Æquator in sphaera parallela quando cum Horizonte coalescit, sit etiam æqualiter remotus à vertice, & totam cœli machinam in portionem superiorem & inferiorem distribuât attamen in positi recto & obliquo ab hac re plane est alienus, trāsit enim extra positum parallelum vel per Zenith polum horizontis, vel intra illum & finitorem apprehenditur, unde concedendum erit, soli horizonti competere ut in-

quovis sphaerae positi aequaliter sit remotus à vertice & totum mundi systema in duas aequales portiones partiatur.

12. Explicata definitione progredimur ad horizontis Divisionem. Johannes de Sacrobosco in sphaera sua cap. 6. dividit horizontem in obliquum & rectum. Horizon rectus est inquit, cujus Zenith, incidit in aequatorem, sive qui transit per polos mundi, & aequatorem dissecat ad angulos sphaerales rectos. Obliquus, qui aequatorem scindit ad angulos sphaerales inaequales, & obliquos altero mundi polo supra eum elevato, altero infra eum depresso, vel qui idem est ipsi aequatori.


13. Cum autem haec divisio ex diverso sphaerae positi originem trahat, (si enim idem esset perpetuae sphaerae positio, nunquam à Sacrobosco haec divisio potuisset proferri) non sufficere arbitramur ut horizon dividatur in rectum & obliquum sed addendum adhuc esse à parallelo sphaerae positi horizontem parallelum, qui in sphaera parallela coincidit cum aequatore, cujusque punctum verticale in mundi polo quaerendum. Non itaque debuisse addi horizon, quem nos parallelum appellamus, finitori obliquo, cum eodem modo à se invicem positi distinguantur, ac horizon rectus.

14. Partimur itaque horizontem ob diversum positum in rectum, obliquum, & parallelum. Rectus est qui transit per polum arcticum & antarcticum & aequatorem ad angulos sphaerales rectos dissecat. Obliquus qui alterum mundi polum supra, alterum infra se habet & aequatorem partitur ad angulos sphaerales obliquos. Parallelus est qui cum aequatore unitur, vel cujus Zenith & Nadiz sunt poli mundi.

15. Praeter hanc Divisionem adhuc alia apud Astronomos reperitur, qua in sensibilem & rationalem dividitur. Hunc dicunt esse qui stellarum fixarum orbem contingit, & mundum in duas aequales portiones dividit. Illum qui à visu nostro circumscribitur secundum terminum visionis.

16. Oritur autem haec differentia à terrae semidiametro. Quando enim patente campo coelum circum circa contemplatur, illudque aequaliter per horizontem dividi existimamus, ratio sensum corrigi ostenditque quod semicoelum neutiquam in terrae superficie videatur,
cum

eum nō linea superficiem tangens, sed per centrum transiens cœlum
 terramq; in duas æquales partes discriminet, quod in sequenti sche-
 mate clarius explanatur,



17. In hac figura $\eta \theta \iota \kappa$ est cœli ambitus & circumferentia, $\eta \theta \iota$ horizon sensibilis $\mu \nu$ horizon rationalis cujus beneficio in æ-
 quales partes cœlum secatur, Pars superior & visa est $\mu \kappa \nu$. Discrimen inter utrumq; horizontem monstrat arcus $\tau \delta \eta \mu$ & $\iota \nu$ vel semi-
 diameter terræ $\rho \pi$.

18. Quando autem sedulo nobiscum perpendimus, quanam sit
 proportio inter cœlum & terram, simulq; experimus, quod terræ mo-
 les respectu totius cœli sit instar puncti, non possumus quin affirme-
 mus, quod horizon rationalis & sensibilis in cœlo non differant. il-
 ludq; sequentes rationes probant.

19. (1.) Concedunt Astronomi quod æquinoctium suboritur,
 quando sol hæret in æquatore & quidem in ejus interseccionem, bis e-
 nim singulis annis ingreditur Sol æquatorem, vel puncta æquinoctia-
 lia, quæ per diametrum sibi invicem opponuntur. Jam itaq; dicim⁹
 si dies est æqualis nocti quando Sol hæret in punctis æquatoris, quæ
 è diametro sibi opponuntur: Sequitur quod respectu cœli nulla sit
 diffe-

differentia inter Horizontem visibilem & rationalem. Si enim discrimen inter illos daretur, Sol non horâ sextâ matutinâ secundum nostrum horologium, supra horizontem sensibilem ascenderet, lateret n. adhuc infra eum vel in pûcto finitoris rationalis vel in utriusq; horizontis interstitio, quod non in terra superficie, s. d. in ejus centro, si terra pellucida esset videretur. Neq; horâ sextâ vespertinâ, sed ante illam Phœbus cum tangeret finitorem sensibilem occultaretur, cum autem hoc Astronomorum sententia imo ipsi experientia refragetur, quivis facillime cognoscit quânam sit differentia inter nominatos horizontes.

20. (2.) Affirmant Mathematici, (quod etiam uterq; globus testatur) sub æquatore habitantes perpetuum experiri æquinoctium, quomodo autem dies perpetuo esset æqualis nocti, nisi Sol oriretetur quando in horizonte rationali haberet. Horizon enim sensibilis non potest noctem diei æqualem reddere, cum dirimat æquatorem in duas partes inæquales, nisi velimus statuere contra rei veritatem, quod Phœbus celerius in parte inferiori horizontis sensibilis tardius autem in superiori portione incedat.

21. (3.) Dicitur quoq; quod sex signa Zodiaci semper extent supra horizontem, sex autem infra illum lateant. Licet itaq; hinc possemus colligere semicælum in terræ superficie perpetuò videri, atq; sequenti modo ratiocinari. Si Zodiacus duodecim absolvitur signis, à quibus in 12. partes distribuitur, atq; horum signorum sex supra horizontem apparent, sex autem sub illo occultantur, sequitur dimidiam cœli partem supra horizontem extare, dimidiam autem infra illum esse submersam, si enim æqualia ab æqualibus auferuntur, quæ remanent sunt æqualia. Arbitramur tamen non ita licitum esse argumentari, scimus enim atq; quotidie experimur, quod signa Zodiaci non sint æqualia Virgo enim quantitate superat libram. Taurus & Leo, Arietem. Capricornus & Aquarius, Pisces.

22. Quapropter nos potius certas stellas in globo cœlesti & ipso cœlo diligenter observamus, quæ è diametris sibi opponuntur. Hæ enim possunt nos erudire atq; certiores reddere, quidnam de horizontis diversitate in cœlo sit statuendum. Si enim harum altera oritur, quando altera sub finitorem paulatim descendit, sequitur nul-

lam

lam esse differentiam respectu cœli inter horizontem sensibilem & rationalem. Quod prius sit verum, partim globus cœlestis, partim ipsum cœlum, quando sudum atq; serenum testatur. Posterius nullo modo potest negari, stellæ enim, quæ è diametro sibi opponuntur, exactissimè cœlum in duas partes æquales dirimunt, Transit enim ipsarum diameter per centrum & in circumferentia cœli tangit puncta opposita, quibus stellæ diametro sibi oppositæ in hærent.

23. Respectu autem terræ datam horizontis differentiam concedimus, quando enim ruri terram circulatim contemplamur non dimidiam, sed exiguam ejus partem videri, quivis facile concedet. Cum enim terra sit corpus opacum, quod tumorem habet, & rotundum est, nosterq; visus sese non possit in circulum inflectere, vel circa rotundam terræ faciem intorqueri; Proinde tantum de terra videmus quantum per rectam lineam visu valeamus assequi.

24. Postremo solet Horizon ut totum in partes integrantes distribui in quatuor cardines, orientem, occidentem, meridiem & mediam noctem unde spirant quatuor venti cardinales, Eurus Zephyrus, Auster, & Aquilo, Hos autem Cardines monstrant nobis Coluri, quando Colurus solstitiorum coincidit cum circulo meridiano, tunc enim non tantum transeunt, per puncta Cardinalia Zodiaci sed etiam horizontis, Colurus enim solstitiorum monstrat cum meridiano meridiem & mediam noctem, Colurus autem æquinoctiorum, ortum & occasum.

25. (2.) Spatia autem, quæ inter hos cardines interjecta, ulterius dividuntur in partes collaterales, ut universim fiant triginta duæ, unde etiam totidem ventorum appellationes in horizontis superficie cernuntur.

26. Absolutâ divisione aggredimur horizontis usum & proprietates, quæ in spherographia explicari solent. 1. Horizon determinat solis, Lunæ & reliquarum stellarum ortus atq; occasus, oriri enim dicuntur cum supra finitorem ascendunt, occidere autem cum infra illum descendunt, In Cœlo quidem nullus propriè datur ortus atq; occasus, terra enim in libero aère pendula hæret, neq; à cœlo secluditur, imo stellæ atq; planetæ nunquam orirentur atq; occideret nisi hujus rei causa esset terræ moles. Hoc partim demonstrant in nostro

B

hori-

horizonte signa nonnulla borealia, quæ nunquam occidunt. terra enim non potest impedire, quo minus illa perpetuò appareant, moventur enim supra horizontem; partim ipse Phœbus in Sphæra parallela, ubi intra dimidij anni spatium non occultatur vel occidit, hæret enim in signis Zodiaci vel septentrionalibus vel meridionalibus, cum itaq; signa septentrionalia in parte boreali sphære parallele nunquã submergantur infra finitorem, sequitur quod etiam Sol quamdiu in illis signis perseverat conspicuus maneat. Nostri itaq; respectu & horizontis omnis stellarum ortus & occasus evenit, quando enim visu non possumus circinare totius terræ & cœli faciem, sed tantum ea cernimus, quæ per rectam lineam nobis obiciuntur, proinde horizon qui visum nostrum terminat est terminus ortus atq; occasus omnium siderum quæ oriuntur & occidunt.

27. (2.) Ostendit finitor, quæ stellæ & sidera perpetuo appareant & nunquam occultentur, quæ etiam orientur & occidant, quæ autem in nostro horizonte nunquam occidunt sidera, illa in parte septentrionali cœli habentur ut ursa major, ursa minor, Cepheus Cassiopeja Draco &c. Quæ autem nunquam supra nostrum ascendunt finitorem, in parte cœli meridionali cernuntur, ut Pavo Triangulum australe, Grus, Columba, Piscis australis, &c.

28. Græci alios effinxerunt circulos, quorum beneficio scire possent, quænam sidera semper apparerent, & quænam perpetuò occultarentur. Alterum vocarunt arcticum, alterum antarcticum à polo arctico & antarctico. De his Proclus in sphæra ait: Arcticus omnium circulorum est maximus quos semper videmus, attingens horizontem in uno puncto, & totus super terram extans, in quo quæ clauduntur sidera, neq; oriuntur, neq; occidunt, sed tota nocte mundi polum lustrare videntur. Antarcticus est circulus, qui sidera quæ nunquam apparent determinat. Nos autem illos superfluos & non necessarios esse judicamus siquidem horizon stellas nunquam orientes aut occidentes ab illis quæ perpetuò delitescunt, satis discriminat.

29. (3.) Penes horizontem mensuratur poli elevatio, quæ nihil aliud est quam arcus interjectus inter polum atq; horizontem, quomodo autem in quovis horizonte sit investiganda, alibi explicabitur.

30. (4.) Horizon exhibet nobis amplitudinem ortivam atq; occidentiam

duam. Quando enim sol motu universalis circumvolvitur, non semper oritur aut occidit in eodem horizontis puncto; sed hyemali tempore, in parte horizontis australi, æstate autem boreali. Constituuntur itaq; duo termini, intra quos tota consistit latitudo: alterum Sol efficit in illo horizontis puncto, quod tangit tropicus æstivus vel Cancræ, alterum quod tropicus hybernus vel Capricornæ. Medium locum horum terminorum tenet æquator, Sol itaq; in illo existens latitudinem ortivam atq; occiduam habet nullam.

31. (5.) Monstrat ortum & occasum Poeticum qui licet huc proprie non pertineat, tamen horizontis officium esse ut nominatum ortum atq; occasum ostendat, hic voluimus significare. Dicitur autem Poeticus à Poetis, Quando enim hi agriculturam, res bellicas, & alia descriperunt, plerumq; ut certum tempus rerum gestarum nominaretur, vel ortum vel occasum Poeticum præmiserunt, unde Virg. lib. 1. Georg.

*Ante tibi Eoæ Athlantides abscondantur,
Gnosiaq; ardentis decedat Stella coronæ
Debita quam sulcis committat semina quamq;
Invita properes anni spem credere terræ.*

Et Ovid. lib. 2. Fast.

*Jam levis obliquâ subsedit Aquarius urnâ
Proximus, æthereos excipe piscis, equos.*

32. De hoc ortu atq; occasu Poetico loqui etiam sciunt agricolæ, quanquam enim termini quibus in Astronomia exprimitur illis planè ignoti, rem ipsam tamen aliquo modo intelligunt. Solent enim in coelo certas observare stellas, ex quarum ortu atq; occasu quidnam ruri sit faciendum, dijudicant.

33. (6.) Ostendit etiam finitor summam solis declinationem tam æstivam, quam hybernæ. Non enim Sol semper commoratur in circulo æquinoctiali, sed modo versus septentrionem modo versus meridiem & austrum ab illo deflectit, donec tropicos & puncta solstitialia, in quibus longissimè ab æquatore remotus, attingat.

Quando itaq; Sol in illis horizontis punctis oritur, per quæ transeunt tropici, statuimus, quod longissime ab æquatore discesserit, nunquam enim transgreditur tropicos, sed ab uno tropico paulatim ad æquatorem & alterum accedit tropicum.

34. Hisce explicatis, supersunt nonnulla, quæ in superficie sphaeræ & utriusq; globi sunt depicta, quæ hoc loco non negligenda, sed potius simul sunt explicanda.

35. (1.) Cernuntur in finitore duodecim signorum Zodiaci characteres, & nomina. ut Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Pisces.

36. (2.) Septem literæ, quæ septem septimanæ diebus respondent, inter has illa, quæ diem Solis ostendit, dicitur Dominicalis, variant autem hæ literæ singulis annis, siquidem quilibet annus peculiarem requirit literam Dominicalem, tota autem varietas absolvitur viginti octo annis.

37. (3.) Festa immobilia & fixa, quæ sedes suas firmiter servant, & eodem mensis die singulis annis celebrantur ut festum Natiuitatis Christi quod incidit in 25. Decembr. & festum circumcisionis, quod primo die Januarij celebratur. Mobilia autem, quæ non certam, sedem occupant, & modò in hunc modò in alium mensis diem incidunt, non potuerunt hic adscribi. Ut Festum Paschatos Palmarum, &c.


38. (4.) Calendarium antiquum vel Julianum & novum vel Gregorianum cum duodecim mensibus non Astronomicis, sed politicis ut Ianuarius, Februarius, Martius, &c.

39. Antiquum dicitur Julianum, à Julio Cæsare. Postquam enim ipse satis perpexit, quod annus ad lunæ cursum à Romulo & Numa constitutus maximam in republica excitaret mutationem atq; confusionem, sollicitus fuit quomodo annus ad solis motum certo absolueretur tempore. Proinde illum ita disposuit, ut totus 365. dies & sex horas complecteretur; Putavit enim, quod Sol intra hoc tempus ad idem Eclipticæ punctum reverteretur. Ut autem sex horæ, superfluxæ penitus non negligenterentur maximamq; temporum mutationem introducerent, iussit Imperator quarto quòq; anno illas in unam summam colligere ut integer dies constitueretur. Hinc annus
Julia.

Julianus est vel communis vel bissextilis, qui est quartus quisq; annus & communem quantitate unius diei superat. Ob hanc causam placuit imperatori ut intra 24. & 25. Februarij anno bissextili dies adventitius poneretur, unde etiam festum Matthiæ bis scribitur in Calendarijs secundum vulgarem versiculum.

Matth. Matth. dicatur sed festum non variatur. Hæc constitutio anni dicitur Usualis quod in Republica Romana & Ecclesia Christiana fuerit observata.

40. Novum dicitur Gregorianum à 13. Gregorio Pontifice Romano, qui Calendarium antiquum vel Julianum aliorum operavit. Viderunt enim quod solstitia & æquinoctia tribuuntur. Julianus annum solarem decem horæ minutis & 44. sec quantitate superaret, ex suis sedibus removerentur; Quapropter Calendarij Juliani correctio instituta & Anno 1582. publicata, Respicit autem correctio non diem Nativitatis Christi neq; tempus Julij Cæsaris sed Concilium Nicænum quod fuit apertum Anno Christi 325. Methodus autem correctionis ita fuit instituta. Anni 134. dant unum diem superfluum quot dabunt 1257. anni, qui à tempore Concilij effluxerunt, usq; ad annum Christi 1582.



Addimus sequentia Corollaria, ut sequens spatium compleamus.

1. An in tota terra superficie, quando Sol aequatorem ingressus est fiat æquinoctium? A.
2. An hora Judaica cum horis nostri horologij quantitate & ordine conveniant! Diss.
3. An Obscuratio Solis, quæ tempore passionis Christi apparuit causis naturalibus possit excusari! N.
4. An Astrologia iudiciaria sit scientia? N.

5. An Sphærographia sit peculiaris disciplina & à Geographia atq; Astronomia distincta? A.
6. An signa Solis & Luna de quibus Salvator loquitur in Evangelio sint Eclipses Astronomica? N.

AD PRÆST. DN. RESPONDENTEM.

Fontibus è geminis JORDANIS profilit ille,
 Qui terram transit sacram, JO Ralter, & alter
 DANcluet: hunc Judæ gnati tranâre, priusquam
 Ingredier possent, & lacte & melle fluentes
 Campos. Est etiam fluviuS, SAPIENTIA dicta,
 Fontibus è geminis ortus: SCRUTATIO RE-
 RUM

Dicitur alter; at alter SVAD Afacunda vocatur:
 (Omnis enim Sapiens verbis rebusq; potens sit)
 Hunc fluviuS, mihi crede, prius transire teneris,
 Quam possis titulis, mage gratis lacte, potiri:
 Res prius abstrusas investigare, disertis
 Et linguis linguam prius exercere teneris,
 Quam possis fructu, mage grato melle, potiri.
 Horum JORDANUS memorem se præstitit, ille
 Fragrantes studuit verborum carpere flores
 Ex horto hebraeo, graio latioq; decenter;
 Impiger & rerum cæcas cognoscere causas
 Expetijt, multumq; insumsit in illud oliui.
 Consona me vero cantare quis abneget? illud

Lux

*Lux etiam prasens docet : hâc tibi multus in ore,
Circulus in Sphæra Princeps, volitavit, Horiz on,
Quem quid sit verbi simul & Rei, & in super Usus,
Præsîde COB ABO, monstras : molimine cæpto
Mactæ, Vir, Aonidum decus & Mea portio grata,
Nec diffide, brevi, superati flumine, gratis
Lactæ & melle magis titulis te posse potiri.
Cæptum si cursum decurses, curret in orbe
Inter honoratos Jordani nobile nomen,
Donec Jordani procurrat in Asphaltiten,*

Vovet hoc Dn. Respondenti, Amico &
populari suo perdilecto

JOACHIMUS BANNIER,
Butzovio-Megap.



dnam. Quando enim sol motu universalī circum
semper oritur aut occidit in eodem horizontis pun
li tempore, in parte horizontis australi, astate aute
stituuntur itaq; duo termini, intra quos tota consi
rum Sol efficit in illo horizontis puncto, quod tan
stivus vel Cancrī, alterum quod tropicus hybernu
Medium locum horum terminorum tenet æquator
existens latitudinem ortivam atq; occiduam habet

31. (5.) Monstrat ortum & occasum Poeticum e
prie non pertineat, tamen horizontis officium esse v
tum atq; occasum ostendat, hīc volumus significa
tem Poeticus à Poetis, Quando enim hi agricultu
& alia descripserunt, plerumq; ut certum tempus r
nominaretur, vel ortum vel occasum Poeticum præ
Virg. lib. i. Georg.

*Ante tibi Eoa Athlantides abscon
Gnosiaq; ardentis decedat Stella c
Debita quam sulcis committat serm
In vitæ properes anni spem credere t*

Et Ovid. lib. 2. Fall.

*Jam levis obliquâ subsedit Aquariv
Proximus, æthereos excipe piscis.*

32. De hoc ortu atq; occasu Poetico loqui etian
quanquam enim termini quibus in Astronomia ex
nè ignoti, rem ipsam tamen aliquo modo intelligur
in coelo certas observare stellas, ex quarum ortu atq;
ruri sit faciendum, dijudicant.

33. (6.) Ostendit etiam finitor summam solis de
æstivam, quam hybernā. Non enim Sol semper
circulo æquinoctiali, sed modo versus septentrio
sus meridiem & austrum ab illo deflectit, donec tro
solsitialia, in quibus longissimè ab æquatore re

B 2

